MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Salzburg (?), Ende 15. Jh.

Seite 228r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos presciuit et predestinauit conformes fieri ymaginis filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem predestinauit hos et vocauit. Et quos vocauit hos et iustificauit. Quos autem iustificauit illos et magnificauit. Quid ergo dicemus ad hec. Si deus pro nobis quis contra nos. Qui etiam proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit. Quis accusabit aduersus electos dei. Deus qui iustificat. Quis est qui condempnet. Christus ihesus qui mortuus est, ymo qui et resurrexit qui est ad dexteram dei. qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a caritate christi. Tribulacio, an angustia, an persecucio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius. sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur tota die estimati sumus ut oues occisionis. Sed in hiis omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes neque instancia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos separare a caritate christi que est in christo ihesu domino nostro.

Ad ephesios.

Fratres. Benedixit deus et pater domini nostri ihesu christi qui benedixit nos in omni benediccione spirituali in celestibus in christo sicut elegit nos in ipso ante constitucionem mundi, ut essemus sancti et inmaculati in conspectu eius in caritate qui predestinauit nos in adopcionem filiorum per ihesum christum in id ipsum secundum propositum voluntatis sue in laudem glorie sue in qua gratificauit nos in dilecto filio suo in quo habemus redempcionem in sanguine eius et remissionem peccatorum secundum diuicias glorie sue que superhabundauit in nobis per ihesum christum dominum nostrum.

Lectio ezechielis prophete.

Similitudo vultus quatuor animalium facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor. facies autem bouis a sinistris ipsorum quatuor et facies aquile desuper ipsorum quatuor. Et facies eorum et penne eorum extente desuper. Due penne singulorum iungebantur et due tegebant corpora eorum. et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Ubi impetus erat spiritus illuc gradiebantur nec reuertebantur cum ambularent. Et similitudo animalium et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardencium. et quasi aspectus